
Newberry Library · Chicago

1633 44. fevr. 1818.

ANALOGIA IVRIS AD VESTEM.

Qua iuris naturalis, gentium & ciuilis ſpecies illuſtrantur.

Autore FRAN. BROEO *I. V. in Academia Bituricenſi Profeſſore.*



PARISIIS,
Apud CLAVDIVM CRAMOISY, iuxta primam Aulæ Baſilicæ Columnam.
M DC. XXXIII.

Cùm Priuilegio Regis.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
D. LVDOVICO
BORBONIO
ENGVIENNENSIVM
DVCI.

CONSILIVM *optimi Principis, parentis tui planè ſanctum eſt* (Princeps Illuſtriſſime) *qui te non tam pretioſis veſtibus, in quibus plerique ſuam dignitatem collocatam putant, quàm eruditione, quæ animi veſtimentum à quodam appellatur, ornari curat. Vtrumque ornatum corporis & animi peculiarem poſtulant proſapiæ regiæ dignitas & liligeræ domus, vnde ortus es,*

ſplendor. Veſtis tamen quæ corporis tegendi ergo ſumitur, nullum ordinem ſtatuit. Iſacium referente Plutarcho *non facit lini geſtatio, non Iſidis ſacerdotis raſura, non veſtis tyriæ color, non auro nitidæ trabeæ regem ſed ſapientia. Etſi communi veſte & ſoloci vterere, erumperet tamen animi indoles, & ſe ſe exereret natalium decus, vel ex fronte, generis exploratrice & indice, quem nulla veſtis in te adumbrare poteſt vt virilis ſpiritus, quo præditus Achilles, ſtola virginali tegi non potuit. Præferenda eſt altera veſtis vſurpatio, cuius myſtico ſenſu exprimere ſum conatus vniuerſi iuris partes & analogicè cuiuſque partis naturam demonſtrare. Non tantùm ius ſed omnis ſcientiarum circulus, huius comparatione exprimi poteſt. Hanc ſummo ſtudio parentes liberis procuraſſe probatur exemplis, ab vltima memoria petitis. Nullus fere*

viri eximij referuntur consilia & euentus, quin cura educationis si filios susceperit, velut generosi animi specimen præcipuum non referatur. Peleum cuius vox Græca respondet Borbonio, Achillem Chironi instituendum tradidisse medullisque leoninis enutritum sub fabularum integumentis narratur. Sapientia qua imbutus Achilles exprimitur quæ hac ætate heroïca, penes poëtas erat, quæ si fuerit corporis addita viribus, fortitudinem ineluctabilem concinnatura. Inter Philippi Macedonum regis præclara facinora quæ multa fuerunt, recensetur cura, qua Aristotelem asciuit, cui Alexandrum literis imbuendum tradidit, & voce paterna identidem ad exercitationem corporis & animi hortatus est. Alexander aliquando à parente interpellatus vt in Olympicis ludis curreret, cum valido poplite præditus foret. Respondit Alexander ita facturum, si

cum regibus certandum esset. Nemo te opinor (Princeps gener.) *non Alexandro superiorem putabit, cùm rescierit cum auditoribus omnis ordinis contendere, & exercitationem cum nemine respuere. Non locus, non personæ tibi sordent, non commilitonum conditio, qui tanto interuallo à te quanto dictator à calone aut lixa dissident. Propensa illa erga literas voluntas, cum præcoci & ætatem ingenio superante, te ante duodecimum annum agentem in quouis dicendi genere versatum reddidit, Græcæ & Latinæ linguæ expeditam orationem de quauis re comparauit. Nemo hactenus miretur Augustum duodecimum annum agentem pro concione Auiam Iuliam laudasse. Hic vernacula, tu arte quæsita lingua expeditè vteris. Tibi vero* (Princeps studiosissime) *curriculum humaniorum literarum absoluenti, disciplinæ omnes*

gaudio triumphantes obuiam procedunt, & singulæ cum ſymbolo (quod veſtis aliquo genere deſignatur) te alumnum habere exoptant. Philoſophia pallium, iuris prudentia togam & paludamentum exhibent. Hæc eſt vera quam noſtri vocant philoſophia, imperatoria diſciplina, quæ præcepta continet, quibus populus Romanus totum orbem in ſuam ditionem redegit. Hæc belli paciſque munia continet. Hæc conſilia ſacra præbet & prudentiam militarem ſuggerit, quæ legum verbo contineri exiſtimo, cùm imperator planè Auguſta præfatione, dixit legum tractationem, cum armis imperatori coniungendam. Ad hanc reuocabat animum Varro cùm dicebat Romanos ſedendo viciſſe, cùmque Cic. togam armis cedere debere: Hanc prudentiam tritura quadam ſpecierum quotidie diſpungimus & collatione inuicem capitum diſcutimus. Has tamen ge-

nerales iuris partes propria methodo tllustrare conatus in transcursu & aliud agens, tibi oblaturus dum in otio aliquid Maius tuæ celsitudini dicandum procudo.


Newberry Library Chicago